Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Manuscripta Rhenaugiensia - Cod. St. Blasien 33 bis 37

[Pars IV] - St. Blasien 36

Rusconi, Bernhard

[Südschwarzwald, St. Blasien u.a.], [2. Hälfte 18. Jh.]

Excerpta Quaedam ex Archivo Sancti Galli

urn:nbn:de:bsz:31-46582

Visual Library

Excerpta quædam Ex Archivo Sancti Galli.

I. Collectaneorum Mss. Tomo I. habetur liber I. antiquitatum Fabariensium auctore Stöcklin monacho Murensi, Decano Fabariensi. Caput 30. Continet vitam S. Fintani, ubi inter alia hæc leguntur.

In hac percelebri Hiberniæ Insula ad annum salutis 749. Fintanus alto a Principum sanguine ex Heroum ossibus longa et gloriosa propagine Clarus novum sidus exoritur. fol. 132. vita aliquamdiu apud Fabarios in Ducatu Rhætiæ sanctissime acta, sub quo abbate nondum didici, nobilem, et potentem sæculi virum in Alemania in Pago Turgonna Wolfehardum Comitem Kyburgensem anno X.i 796. Convenit, quem Rhenovienses fundatorem suum frequentant. ut ita etiam de origine huius Monasterij nihil porro sit, quod multum laboremus. Male proinde Rheliographus in geographica tabula Rhenoviæ annum fundati Monasterij 700. adscripsit. Hoc cum deinde illustri Comite 4. ipsos annos in Clericali statu Conversatus quotannis in abstinentiæ rigore insigniter promovit, et indies nova, et inaudita virtutum incrementa, ac exemplorum prodigia in lucem edidit. Tandem exacto quadriennij spatio senior suus, idest, Wolfelardus Comes, ipsum in proprio suo Mario, Cuius nomen Rhinawa abs se in sua Diœcesi Constructo sub abbate Wieram monachum Creavit. porro nobilis et venerabilis vir Wolfene et Dominus loci Rhinaw gregi Dei ibidem Dominus abbas præfectus Circa annum Chri. 861. Nepos illius senioris. fol. 142.

S. Fintanus itaque Laginiæ provinciæ in Ibernia Civis /: alij vocant Principem :/ in Benedictino Cœnobio Insulæ Rheni in germania dicto Rhinaw monachum vovet anno a partu B.V. 800. ætatis vero suæ anno 51. hic quotidie seipso superior, et melior effectus omnium in se animos suspendit. fol: 143.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

2.

Foris item in Monasterio degens priori anno videl. 805. quo Clausam erat ingressurus, singulis noctibus precationi operando in templo pernoctaverat. pridiana itaque nocte, antequam S. Blasij exuviæ Roma Rhenaugiam allatæ venissent, pro more in Basilica Deum precatus, repente suismet oculis niveam Columbam super altare sedisse animadvertit, sensimque inde in Cryptam provolantem disparuisse. postera die super idem altare sacras illas Martyris reliquias veneraturi collocarunt, in quo avis illa a viro Dei pridie constitisse visa fuit. fol. 144.

Fintanus igitur patriæ pater arctissimo loco conclusus annis 22. ad stuporem corpusculum perdomuit. fol. 150.

Itaque S. Fintanus cum rara vitæ austeritate, jejunijsque pene continuis, orationibus prope perpetuis, et omnimodis præclaræ vitæ actibus illustris, sanctitatis suæ igniculos multifariam sparsisset, denique Rhenoviæ in Clausa sua miraculis et crebris Cœlestibus ostentis Clarus migravit in Cœlum XV. Novembr. anno Christi 827. ætatis suæ 78. fol. 151. Hæc ibi.

NB. Sequitur Caput undecimum, ubi fusissime refertur vita, et Martyrium B. Nicolaj de Rusca &c.

II. In tractatu de jure advocatiæ de Berchtoldo abbate modicum habetur, et duæ tantum Bullæ Pontificiæ adducuntur ad monachos Cum Monasterium et ad Episcopum Metensem. Illam quidem ad Epm Metensem non habemus, aliæ quatuor Bullæ Pontificiæ, in quibus ea etiam ad monachos est, sub sequente archivi nostri signatura originales adsunt:

A. 1. Cl. 1. Cist. 7.

Innocentius quartus Committit administrationem Monasterij Rheinaugiensis Berchtoldo abbati S. Galli 1249.

A. 2. Cl. 1. Cist. 7.

Idem Pontifex mandat Conventui Rheinaugiensi, ut obediat Berchtoldo abbati S. Galli a se Constituto administratori 1249

A. 3. Cl. 1. Cist. 7.

Idem mandat abbati Eremitano, ut Conventum Monasterij Rheinaw Compellat per Censuram Ecclesiasticam Berchtoldo abbati S. galli obedientiam præstare. 1249.

A. 4. Cl. 1. Cist. 7.

Idem monet Sabariensem, ut abbatem S. galli in adepta possessione Rheinaugiensi non permittat molestari. 1250. De Bulla ad Episcopum Metensem, assisij data, habetur tantum Copia.

Christianus Kuchimeisterus Civis oppidi S. galli anno 1335. Cœpit idiomate germanico prosequi Chronicon S. galli a Conrado de Pfeffers usque sui temporis abbatem. De Berchtoldo ita scribit: Es waren bey zeiten abt Berchtold nie zwitracht zu Rheinaw, der was bürtig von Ramschwagen, welcher dem Closter mit gewalt seinen feinden grossen überdrang, und unbild anthäte, also das die geistlichen, und gotts haus leut verursacht wurden den abt Berchtold anzufangen, der die abtey wolte annehmen, und sie wider ihren vorgesetzten abt defendieren. welches er mit grossem unbild, und grossen kosten unterfieng; wolte darumb den abt zu Rheinaw gefangen nehmen, und als er ihn verstecket in seinem haus zu Rheinaw, sprang der abt heimlich durch sein sprachhaus in den Rin, schwam über, und entran. stifftet die seinen (: welche dennachen freygeboren waren :) wider abt Berchtolden auf, das sie ihm vill müh und unbild machend, doch zuletzt bezwang er die abtey, das sie ihm blib, welches beschahe durch des papst Innocenti IV. verwilligung. wie aber dise abtey von abt Berchtold komen, ist mir nit bewußt. so weit Christian Kuchemeister.

III. Ut facilius respondeam, quædam præmittere necesse est. 1. Nihil obscurius est antiquitate, illorum præsertim temporum, quibus vel nimium Creduli scriptores obvia quæq; scripserunt, vel etiam pro gloria gentis suæ Confinxerunt. ita eundem sæpe virum veluti Waldonem, Walafridum,

Hermañum Contractum duo Monasteria repetunt. Crediderim, Monasteria Cellas ab initio fuisse parvas, monachosque modo in illo, iam in alio aut modico, aut diuturniore tempore habitasse, abbatibus sive ob paupertatem, sive exterorum persecutiones, aliasque Causas facile Concedentibus. unde etiam ex uno sæpe monasterio ad aliud petiti abbates, obtentique sunt. postea etiam armis, igne, et sanguine non raro abbatiæ stetere.

2. Monasteria hisce præsertim partibus plures vastationes subierunt, veluti Monasterium S. galli ab Erchonaldo, a Warino et Ruthardo Tyrannis: quia tamen hi ipsi Christiani erant, nolebant videri persecutores; ideo unum, alterumque monachum ad loca sancta reliquerunt, unde fidelium eleemosynæ, ac traditiones, imo ipsi etiam eadem sacra loca adiere oratum, oraturi Dominum, a quo non erant misericordiam Consecuturi, quidni eandem faciem etiam alia subiere Monasteria?

3. Aliud est Necrologium S. galli, seu tabula defunctorum, aliud tabulæ fratrum Conscriptorum. sub Lit. D. transmissa tabulæ sunt fratrum Conscriptorum. Necrologia plura sunt in Manuscriptis Bibliotheca, atque unum etiam, sed minus vetustum in archivo S. galli. Tabulæ fratrum Conscriptorum tantum sunt in archivo S. galli sub signatura; R. 1. Cl. 3. Cist. 1. Nunc ad rem.

§. 1. In quem annum vel sæculum Coincidit scriptura tabulæ fratrum Conscriptorum?

R. In sæculum nonum Circa, vel decimum, adeoq primum post initam Confraternitatem scripta est. sed variant Characteres, nec una manu ducti videntur, unde in animum induco meum, omnia alia ab aliis, aut Certe a primo scriptore posterius esse inserta, inde lineæ intercalares: vel etiam honoris gratia permissum, ut illi ipsi, qui assumebantur, propria manu nomina sua insercrent, aut denique, ut veterum simplicitas non raro lepida iñocentiæ fuit, vago, Confusoque ordine nomina inscribebantur, ut præsertim patet folio ultimo in Catalogo frat.

Professorum a tempore S. Othmari, et posterioribus. R. 2. Class. 3. Cist. 1.

Q. 2. Cur tres abbates statim ab initio ponuntur: Wichram, wolfine, et Antwart?

R. 1. Si Tabulam accuratius inspicio non tantum tres sunt, sed e latere marginali, licet alio Charactere, ponitur Notker abba, quem sequuntur Presbyteri, Diaconi, aliique numero quindecim; at initiales Nominum literae e Charta Pergamena abscissae sunt.

R. 2. Videtur adhuc prima Columna versi folij ad fratres Rhenovij pertinere, cum primum a secunda Columna sequatur novus titulus fratrum Conscriptorum, duabus lineis ordinate inter se iunctis, hoc modo: nomina fratrum Coenobij sancti Petri, sanctorumque Confessorum Othmari atque Bertini.

Hunfridus Eps.
Gundberdus P.

Ergo prima Columna adhuc ad Rhenovienses pertinet; neque enim novus Catalogus a simplici monacho inciperet. Suntque sequentes:

Bruno. Mon.
Alfdac. Mon.
Ailbertus. Mon.
Ragenbold. Mon.
Adalbertus Mon.
Hrotoldus. Mon
Ratpero
Hatto.
Thiotaral.
Kichrara.
Formonsus. pbr
Fora. Diac
Leo. Subd.
Reginbertus. et omnib.
Qui se in meis orationibus
Comendaverunt.

Folcholt
Ratbret.
Purgarat.
Hiltisind
Hundo
Nandpt
Cundere.
Pebo.
Rottrudt
benedict
Nordolo
Luimunt. Hugemer.

R. 3. Indubitatum mihi est, wichram primo loco positum, quia sub eo añ. 885. Confraternitas Coepit, a qua, et propter quam Cœteri relati sunt in numerum fratrum Conscriptorum.

Q. 3. An viventes tantum, vel etiam mortui fuerint inscripti?

R. Ut prætactum, aliud Necrologium, aliud Catalogus fratrum Conscriptorum est. In Necrologium mortui tantum, in tabulas fratrum Conscriptorum per se viventes tantum inserebantur. Sed quid prohibet etiam mortuos fuisse inscriptos, et suffragiorum Causa, et honoris ergo? Cum multi Sæculares præpotentes eo tempore etiam expetierint Benedictino habitu sepeliri, fieri potuit, ut vel ob legata pia, vel in gratiam, aut ob Conjunctionem viventium fuerint inscripti. ita fortaßis in hoc ipso fratrum Rhenoviensium Catalogo aliqui mortui inscripti sunt, ut ne post mortem separati eßent: alij posterioribus temporibus, ut vel animus scriptoris, vel alia ratio ferebat, hinc inde adjecti, ac interpolati sunt. et tam viventes, quam mortuos inscriptos fuiße probare videntur Collectæ, sed antiquiore Charactere in eodem libello posita.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super famulos et famulas tuas, quorum Comemorationem agimus, qui in pauperes tuos operantur, in virtute Custodi, potestate tuearis, ut per multa Curricula añorum læti tibi in pauperes tuos hæc operentur etc. Ecce orationem

pro vivis.

Da quæsumus Domine famulis et famulabus tuis, qui de eleemosynis suis memoraverunt venerabilem locum istum, sperata suffragia obtinere ut qui tuos pauperes, vel tuas Ecclesias memoraverunt, sanctorum omnium, simul et Beati Martyris tui Laurentij mereantur Consortia, Cujus nunc sunt exempla secuti. P. D. Hæc itidem pro vivis, aut forte pro utrisque est.

Deus, Cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis tuis, quorum nomina hic et in libello isto Continentur adscripta, vel omnibus hic in Circuitu Ecclesiæ in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a Cunctis reatibus absoluti sine fine lætentur. P. D. Nm. Ecce Collectam pro defunctis.

Porro si frater vel soror Conscripta defuncti fuerunt, mox ad diem ipsius obitus Necrologio inferebantur.

Lit. 4. Cur Gozbertus omissus est; an in monasterio S. galli eo tempore nullus gotzbertus vixit; an inde postulatus est?

R. 1. Si gotzbertus abbas Rhenoviensis e Mrio S. galli postulatus fuit, inter fratres Conscriptos, utpote verus Confrater, adscribi non potuit.

R. 2. An vero e gremio nostro petitus sit, Certum aliquid asseverare non ausim; si disputare licet, sic argumentor.

Fuit gosbertus S. galli abbas electus anno Chri 816. vir magni nominis regit laudabilissime abbatiam, atque senio et meritis plenus año Chri 837. abbatiam resignavit. fuerunt et alij post eum gosberti /: Cotzberti, gotzberti :/ ut adeo duo eodem tempore Cognomines reperiantur, haud inusitato iis temporibus exemplo, ut in Notkerijs, Hartmañis, Eckchardis Burckardis, alijsque patet.

Ermenricus augiensis monachus ad grimaldum abbatem S. galli perscripsit, walafridum augiensem abbatem cœpisse etiam

metrico Carmine vitam B. galli scribere, sed morte præventum non absolvisse, tum addit: „ unde ego rogatus sum a quibusdam fratribus: = et præcipue a devotissimo gotzberto. = ne dicas calvo, sed pilis Cephali = aure tenus nudo, omni tamen sancta benevolentia pleno, felicissimi abbatis gotzberti Nepote. „ hactenus Ermenricus. Et subdit ibidem præfatum gotzbertum e Monrio Popiensi S. Columbani sacras reliquias offerentem, lario lacu mersum non sine manifesto miraculo incolumem evasisse. Prülisover Chron. S. gall. Tom. I. Lib. 3. Cap. 19. Jam ad instrumenta, non omnia, aliqua tantum affero. anno 24. Hludovici Imperatoris et Hludovici Junioris Regis alemañorum V. sub geroldo Comite Præstarium Nidhardi, et Engilsindæ bonorum in zollinchorum ita signatur: sig. Bernwigi abbatis, et advocati sui puatoni, qui hoc præstarium fieri rogaverunt. sig. Isaberti Decani. Coteschalh Præpos. gotzberti sacr: /: id est, sacrarij Custodis, sacrarij, vel sacratarij: / Ursinus et Martinus Cell. Irminhart Port. Kenaloh Camer. vozo. Hospitalaris, signa aliorumque. F. 8. Class. 3. Cist. I.

Eodem anno Conventio Cum Winiberto de bonis Irminrari in Herinisawa et Tegeresa sic signatur: signum Bernwigi abbatis, et advocati sui Ruadberti, qui hanc Conventionis Cartam perpetrarunt, sig. amalger Præpos. X Isanbert Decani. Hunolt. Præpos. Cotzbert sacrat. vozo Hospitalar geraloh. Cam. Ursin. et Marti Cell. signa aliorumque. F. 10. Cl. 3. Cist. I.

Anno Ludovici Imperatoris XXV. et VI. Ludovici Regis alemannorum sub Keroldo Comite Precaria Wolvini bonorum in Ruivelda que sic signatur: sig. Bernwici abbatis, et advocati eius Puatonis qui hanc Precariam fieri decreverunt. Sig. Isanberti Decani. Sig. Hunolti. Sig. Amalgeri. Sig. Puaboris. Sig. Salvonis. Sig. Einberti. Sig. Cotzberti. X. Egino X. waldbert. X. Notker. X. Ruadpert. X. waldpert. X. walthram. X. adalhoh. X. Landfrid. X. wichram. X. Ratpert. X. Liudpert. X. Hilpert. X. Cozbert. X. Beatusque. qui duos hic gosbertos F. 13. Class. 3. Cist. I.

Et sequente mox instrumento iterum duo Cozberti scribuntur. F. 14. Class. 13. Cist. I.

Anno Hludovici regis in orientali francia X. sub Ruabone Comite et sub Hunoldo Centenario Indict. V. precaria Landprehti bonorum in Nibilgow sic signatur. Signa Grimaldi abbatis, et Emichonis advocati, qui praesentem precariam scribere rogaverunt. Sig. Hartmoti Decani. Sig. Engilrami Praepositi. Sig. Pirihtilonis praepositi. Sig. Diotharti Hospitalarii. Sig. Cozberti Portarij. Sig. Crimberti Portarij etc. Ecce sacratarius hic deest, et unus tantum Cozbertus sub officio Portarii ponitur. H. 22. Class. 3. Cist. 1.

Anno regni Hludovici XIV. sub Odalrico Comite precaria bonorum in Hebinchova sic signatur. Sig. Grimaldi abbatis. Sig. Hartmoti Decani. Sig. Cotisschalchi praepositi. Sig. Cozberti Portarij. Sig. Hanrici sacrarij. Signum amalberti advocati. X. Hutti. X. Enno. X. Erinbrecht. Ego itaque Uso indignus monachus rogatus scripsi et subscripsi. Ecce hic iterum unum Cozbertum Portarium, et novum sacrarium Hanricum. Charta P. Usonis manuscripta est. H. 32. Class. 3. Cist. 1.

Anno regni Hludovici XIX. sub Keroldo Comite precaria bonorum in Pichlinchovm sic signatur. X. signum Grimaldi abbatis. X. signum Hartmoti Decani. Signum Engilrami Portarii. Signum Cotzberti praepositi. X. Signum Sabonis etc. Ego itaque Notger scripsi et subscripsi. Ecce Cotzbertus antea Portarius nunc est Praepositus. Charta S. Notkeri balbuli manuscripta est. H. 69. Class. 3. Cist. 1.

Anno regni Hludovici XXII. sub albrico Comite precaria bonorum in Perolteswilare, et Longatum sic incipit. Venerabile in Christo Crimolt. abb. et Cozp. Praep. et subiectus etc. H. 84. Class. 3. Cist. 1. Nunc ad rem

Anno regni Hludovici X. gotzbertus abbas Rhenoviensis ab ipso Hludovico rege Confirmatus est, Concessumque ab eodem liberae electionis privilegium. quo eodem tempore abbatiam S. galli Grimaldus tenuit, praefati Hludovici regis archicapellanus; fuitque tum Monasterium S. galli maxime famosum, virisque illustribus abundavit.

Cum igitur desolatum Rhenoviense Monasterium virum exigeret et aetate et moribus maturum, dextrumque ad res gerendas, atque gotzbertus

S. galli monachus iam anno Hludovici regis V. Sacrarij Custos fuerit, vir maturus, et ut Ermenricus vocat, devotissimus, et omni sancta benevolentia plenus, atque ad sacras reliquias Ebobiensi Monasterio referendas ipse potissimum in Italiam missus fuerit, ad hæc non suo tantum, sed sive Patrui, sive avunculi sui Gotzberti S. galli abbatis nomine famosus fuerit, quid prohibet ipsi abbatiam Rhenoviensem Commissam? deinde Cum Grimaldus abbas S. galli ipsius Hludovici regis archi-Capellanus esset, plurimumque et regis gratia floreret, et in aula posset, ad quem potius afflicti Rhenovienses Confugerent, obtenturi Cum novo abbate liberæ electionis privilegium, nisi ad ipsum Grimaldum archiCapellanum præsertim Cum iam prius idem liberæ electionis privilegium Cum omni exemptione S. gallo ab eodem rege obtinuisset? id quod vicini Rhenovienses facile Cognoscere poterant. quodsi vero a Grimaldo abbas petitus est, quem alium sufficeret, nisi e gremio suo, hoc est, e Cœnobio S. galli? et quidem non alium, nisi pro honore antecessoris sui Gotzberti abbatis nepotem eius Cognominem Gotzbertum Sacrarij Custodem?

Si objicias anno X. et XIV. Hludovici regis inveniri Gozbertum Portarium, anno vero XIX. et XXII. regni eiusdem Hludovici Gotzbertum præpositum scribi: respondendum est, alterum et juniorem Cotzbertum primo Portarium, tum Præpositum fuisse. Cum non semel antea in uno instrumento duo Cotzberti legantur.

Si quæras, Cur ergo nullibi abbas vocetur? respondeo, neque Stephanus, qui tertius S. galli abbas putatur, abbas, sed a Walafrido S. galli Custos nominatur, et Magulfus, qui quartus S. galli abbas ponitur, non abbas, sed in fragmento quodam traditionis, Presbyter, et Pastor S. Galluni nuncupatur. ut taceam plurima antiquitatis monumenta ipsam vetustatem excessisse. Sed hactenus disputata meræ Coniecturæ sunt, et quamlibet partem amplexus fuero, non aliter, nisi ex Coniecturis refutari potero.

Q. 3. Quando in Diplomatibus anni ab incarnatione Christi additi sint?

R. Tam in Diplomatibus, quam in traditionibus S. galli nunquam anni incarnationis Dominicæ adscripti sunt ante Ludovicum

Crassum, a cuius regno in utroq tum diplomatibus, tum traditionibus leguntur. nullum tamen diploma aut traditionem habemus in aliquo concilio datam, ut illud Rhenoviensium diploma in Concilio Moguntino datum est. ergo firma stat sententia eruditissimi Mabillonii.

Q. 6. Quae origo Monasterii Rhenoviensis?

R. Hic in documentis nostris nihil habemus praeter confraternitatem an. 885. Wichramum inter abbatem Rhenoviensem, et monasterium S. Galli initam, ex qua quidem ita conjecto:

Tum Monasterium Rhenoviense iam in flore fuit, quod ante desolatum erat, namque S. Galus confraternitatem iam iniit A°. 800. cum Mrio augiensi. A°. 846. cum Mriis Pobiensi, Disertinensi, Schirensi. A°. 864. cum Coenobio Campidonensi. cur non etiam cum vicino Rhenovio initurus, si iam tum floruisset? tunc utique iniit, postquam a Gozberti abbatis tempore magis magisque accrescere coepit; quia vero videmus in omnibus Mriis providentiam divinam aliquem collocasse sanctum, tum pro tutelari, tum pro exemplari, quod posteri sequerentur, nullus dubito S. Fintanum ante devastationem, et pene ab initio fundati Monasterii divinitum in idem Coenobium comigrasse.

Quia igitur antiquitates fabarienses aiunt A°. 796. beatum virum ad Wolfehardum Kiburgi Comitem venisse, et post quadriennium Rhenovii fuisse, necesse est, iam tum stetisse Monasterium sub aliquo abbate, a quo S. Fintanus susceptus sit, atque monachum professus, sancte vixerit. ex quo sequitur, in tabula fratrum conscriptorum Fintanum illum, vel alium fuisse monachum illi cognominem, vel iam defunctum tabulae illatum. et si arx Kiburgica A°. 760. condita est, atq Wolfehardus Kiburgi Comes Mrium Rhenoviense fundavit, necesse est annos inter 760. et 800. fundatum fuisse, sed enim neq una nocte surrexerit, neq una die monachi convenerint. quid igitur superest, nisi eam amplecti sententiam, quae in tractatu de jure advocatiae habetur? quod si quis Ariadnaeum filum porrexerit, utrisque manibus tenebo.

I. O. Gl. D.

12